

D. A. G.
DISSERTATIO GRADUALIS
CONTINENS
MONITA QUÆDAM PHILO-
SOPHICA CIRCA STUDIUM
VIRTUTIS HOMINIBUS
INSTILLANDUM;

QUAM
VENIA FAC. PHILOS. IN R. ACAD. ABOËNSI,
PRÆSIDE
MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,
ELOQU. PROFESS. REG. ET ORD.

Publicæ ventilationi subicit

NICOLAUS MACONI,
ROSSIA-WIBURGENSIS;
In AUDITORIO MAJORI Die xviii. Junii An. MDCCLXXXV.
H. A. M. C.

ABOË,
Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typogr. J. C. FRËNCKELL.

K O N G L. M A J : T S
T R O - M A N O C H Ö F V E R S T E - L I E U T E N A N T

S A M T

R I D D A R E A F K O N G L. S V Ä R D S - O R D E N ,
W Ä L B O R N E

H E R R H E R M A N V O N B U R G H A U S E N .

*Om det är plikt, at ömt bevara
I tacksamhetens helga skygd,
Den ynnest, som af ådlas dygd
Vi fått i ymnigt mått förfara;
Om det en ljuslig vållust är,
At gifva luft åt känslors hår:
Hur kan mit hjerta nånsin glömma,
Den godhet I mig visa tacks?
Hur kan den eld som deraf väckts
Jag dold och tyst i hjertat gömma?
At få offentligt röja sig,
Har denna känsla muntrat mig
At med ERT Namn en prydnad gifva
Åt dessa blad. Låt dem få blifva
Den vördnads tolk, som i mit bröst
Skal lefva än i äldrens höft!*

V Ä L B O R N E H E R R Ö F V E R S T E L I E U T E N A N T
T E N S O C H R I D D A R E N S

Ödmjukaste tjänare
NICLAS MACONI.



§. I.

Quantumcunque nonnulli opinionem Politici de sua foveant arte, & quantumvis facultatem extollant per solam vim legum externam actiones hominum ad finem attingendum Civitatis, qui est (aut esse saltem debet) summa omnium felicitas, efficaciter compellendi; ita ut quidam præcipua etiam adminicula moralia, quæ sunt Religionis imprimis vis atque Educationis cura, parvi æstimare videantur, saltem non magnis esse impensis publicis digna censeant, aut ullo modo cum aliis suis consiliis institutisque comparanda: nec valde tamen magno opus esse putamus acumine, nec vasta admodum rerum humanarum cognitione, ut vanitas hujus opinionis noxaque quam reipublicæ minatur, si favere ei Civitatum Rectores instituerint, clarissime appareat. Itaque nec metuendum est, ne sapientes Principes, populique salutis suæ non plane incuriosi, tam stultæ rationi unquam assentiantur. (a)

Quamobrem loco axiomatis ab omnibus sani consilii merito habetur Politicis, *Virtutem*, hoc est, spontaneum studium recta faciendi, officia observandi sua, & communem in

A

ci-

(a) Quin videmus, ut Religioni a superstitionis reliquiis, ac fordibus quas illi alleverat superiorum temporum ignorantia, repurgandæ, ita educationis rationi diligenter emendandæ ac perficiendæ, summos Principes singularem, per magnam Europæ partem, & curam & impensam insumere. Exempla recensere haud est accessse; quem enim tantorum consiliorum fama non circumsonuit?

civitate prosperitatem diligenter promovendi, necessarium plane esse omnis & privatæ & publicæ felicitatis adjumentum, præsidium atque fundamentum: quæ ubi civium animos non inflammat, quot occulta patrantur scelera, quot spe vana impios occultandi conatus, facinora suscipiuntur! quot cuniculis, legum vis & auctoritas subruitur! quam brevi omnes langvebunt nervi Reipublicæ! Ipsos custodes legum, interno virtutis & Religionis vinculo nullo constrictos, quis custodiet? quam numerosa opus erit ad hunc defectum supplendum, legum multitudine, hac ipsa tanto mox invalidiorum! quanta turba creabitur magistratuum & ministrorum publicorum, ad homines aliquantum in officio continendos necessariorum, quos longe accuratius efficaciusque sua voluntas, suosque justis sensus & honesti, ubi animo impressus alte fuerit, officii semitæ insistere subiget! quam simplici licet esse civitatis tanquam machinæ, ubi virtute civium rotæ quasi ejus omnes agitantur! Nulla itaque res seriam magis, nulla intentiorem, eorum qui reipublicæ præsumt, curam meretur atque diligentiam, quam hujusmodi virtutis, civium mentibus mature, profunde ac durabiliter imprimendæ atque infingendæ, consilium: quod cum non semper prudentissime felicissimeque ineatur, cumque in eo deligendo ab ipsa non raro aberretur naturæ humanæ indole ac ingenio: haud inutile erit, in tantam rem attentos subinde conjicere oculos, suamque ad veram ejus rationem explicandam, inculcandam, hominumque illuc diligentiam convertendam, conferre symbolam. Quæ causa fuit, cur deinceps legenda, ad hanc spectantia materiam monita, speciminis Academici loco C. L. oculis censuræquæ subjicenda putaremus.

§. II.

Verum fuerunt, qui partem morum maximam, quos a virtute hominum, Religionis atque sapientis Educationis beneficio mentibus illorum instillanda pendere docuimus, aliis *cauffis* attribuendam esse, partim *physicis*, partim *moralibus*, existimarent & affirmarent. Nimis sine dubio *physicarum* caussarum potestati, ipse tribuit Illustr. DE MONTESQUIEU (a), ab aliis nimis forsitan cupide reprehensus (b). Media igitur ingredientes via, licet omnem nequaquam climati, situi regionum, earumque fertilitati & salubritati, victui hominum &c., vim abjudicatam velimus; tantum tamen iisdem influxum (ut hodie loquimur) adscribi non patiamur, ut vel solis, sine moralium adjumento caussarum, virtutes vitiaque gentium ac populorum deberi largiamur, ac præ his principatum in moribus hominum efficiendis formandisque concedere queamus: quo de argumento legenda sunt quæ modeste & diligenter disputat Cel. FEDER, *Untersuchungen über den menschlichen Willen*, II. Th. Buch III. abschn. II, Kap. II. III. IV. (c). Inter *Morales* caussas *Religioni*, (cujus ad hominum animos virtutis studio atque sensu fortissimo ac vividissimo imbuendos, vim efficacissimam atque beneficentissimam esse, sani omnes consentiunt), olores ejus (d) non modo invalidam, sed

A 2

etiam

(a) *De l'Esprit des Loix*, Libro II toto.

(b) Cfr. HELVETIUS *de l'Esprit*, passim; & HUME *Essay of National Characters* (in *Ejusd. Essays and Treatises*, Ess. XXIV.).

(c) Cum quo conferendus est FALCONER, *Remarks on the influence of Climate -- on the -- mankind*.

(d) Attulisse sufficiat magna cæterum nomina HUMM, VOLTARI, (pro suo tamen more, sibi non constantis), HELVETII; qui potestremus in opere *de l'Esprit* occultius, in altero *de l'Homme* magna acerbitate in Religionem atque Virtutem, impetum fecit.

etiam noxiam esse prætendentes, locum concedi nullum volunt; turpibus occæcati cupiditatibus, ac solenni hujus sectæ hominum usi artificio, qui quæcunque mala supersticio, Religionis mentita nomen, & abulus vanaque ac deformata sanctissimæ rei species unquam genuit, ea religioni vitio vertunt; quasi rationi ipsi (ac rei cuicunque utilissimæ) idem fatum non contigerit, ut abuterentur ejus vi ac nomine mortales, simiaque hujusmodi turpis laudem illius sibi falso vindicaret; a qua tamen editas sfrages, rationi nemo imputabit iudex æquus & intelligens. De vi Religionis in virtute gignenda & firmanda, multis hoc loco disputare non est propositum: sufficit monuisse, Philosophos, qui acutissime virtutis ad veram hominum, etiam in hac vita, felicitatem obtinendam, vim atque necessitatem explicare instituerunt, sine ope tamen Religionis (de practicis ejus ac simplicioribus hic præcipue loquimur partibus, non de subtilioribus, quibus viri eruditi illam illustrare & explicare aggressi sunt disputationibus) ac futuræ vitæ cogitatione, mancam hanc rationem in quibusdam manere, cum sincere agunt, fateri necesse habuisse (e). De *Educationis* sollicitæ & sapientis cum pretio, tum necessitate, nemo quidem qui virtuti quidquam tribuit, universe dubitavit, nisi fanaticis admodum somniis delusus; sed ubi ad applicationem generalis hujus axiomatis ventum est atque in actum illud erit deducendum, ita agere sæpe homines videas, quasi nullius prorsus hæc tanta res sit momenti: adeo segnem atque parcam ei impendunt curam, adeo negligenter tractant atque fere contemtim!

§. III.

(e) Vid. e. gr. acutissimus SEARCH (h. e. TUCKER) *Light of Nature pursued*, Ch. 36, §. 10.

§. III.

At frustraneum esse omnem quæ a virtutis vi (adeoque a primariis etiam suis fontibus Educatione & imprimis Religione,) expectetur opem, eo argumento usus; acris ceterum vir ingenii contendit, quod veri nominis ulla inter homines virtus, quæque a sui unice commodi quærendi nisu sit distincta, nec reperitur, nec reperiri omnino possit: mentitas ac fallaces asseverans cunctas esse habendas humanas, quæ vocentur, virtutes, utilitatis propriæ semper cedere rationi, nunquam a vere generosa ac benefica proficisci indole, nec hujusmodi principiis atque sensibus unquam esse attribuendas: quamobrem omnem a sola vi legum, atque institutorum publicorum ita sapienter conditorum, ut utilitas hominis atque civis cujusque cum utilitate publica arctissime cohæreat atque accuratissime conspiret, Republicæ cujusvis repetendam & sperandam esse salutem (a). Minime negamus, ortum omnis appetitus & aversationis animi humani ultimum, ab amore sui atque suæ felicitatis quærendæ studio, esse repetendum; inde tamen multum abest ut tristis illa, desperabunda atque generi infesta humano ratio confirmetur, quam ducere inde HELVETIUS nititur, qui justos transiliens limites, falsissima a veris præmissis infert consectaria (b). Nec legum summum esse consilium debere, inficias imus, (quin illuc omnes earum tendere conatus oportere fatemur), ut privata civium singulorum utilitas, cum civitatis universa, quam fieri possit exactissime conjungatur; ne periculis virtus

B 3

teme-

(a) HELVETIUS II. cc. passim, imprimis Disc. III, Ch. XVI & XXII.

(b) Cfr. de hoc argumento Dissert. Acad. quam non ita pridem hic edidit Dn. CAR. REG. BRANDER de *Obletatione & appetitu mentis de fine in media translato.*

temere objiciatur non necessariis, ac illecebris exponatur, honestæ menti sed imbecilliori, haud raro formidolosis. Sed ad hanc tantæ rei summam perfectionem, ab hominibus unquam perveniri posse, atque talem repertum iri legum condendarum rationem, ut privatam suam nihil prorsus a communi discrepare utilitate civium quisque clarissime perspiciat, sentiat atque semper recorderetur; id vero svave somnium est, nec diligentissimam profecto naturæ mortalium atque conditionis rerum humanarum, prodit cognitionem. Vetat hanc tam magnificam concipere spem imbecillitas mentium nostrarum, arcti intelligentiæ circumpositi nostræ limites, rerum præsentium atque sensibus objectarum in animos vis ingens, futurarum atque absentium, licet graviorum, longe superans virtutem (c). Cupimus etiam valde atque optamus, ut de vera sua utilitate, a communi civitatis salute haud separanda, studiosissime atque luculentissime cives cuncti doceantur: ut totam seriem rerum, ad salutem suam pertinentium, non exiguam tantum quæ sensus jam ferit earum particulam, præsentem animo habere, indeque plane quid certa sua felicitas poscat, judicare discant, erroris nullis unquam obnoxii nebulis, cupiditatum perturbationumque nullis in transversum acti turbinibus, aut nube quam affectus menti objiciunt, occæcati. Sed pia tantum hæc & esse & fore semper desideria, quis non sentiat? His tamen fabulis, vanisque phantasiæ visionibus, Religionis ex hominum societate proficibendæ jacturam sarciri posse, adversarius contendit; conjugiorum fidem, pietatis ac paterni affectus vim, supervacuas reddi, voluptatum omnium, pudore fugato, usum innoxium atque insontem evasurum, putat! Egremiam

(c) Vid, LOCKIUS *de intell. hum.* L. II, C. XXI. §. 35, 37, 38. SEARCH. l. c. Ch. VI, §. 13. sqq.

giam vero sapientiam, & dignam quæ tanto strepitu annuncietur! Ac hujusmodi nosmet ipsam alere is jubet, qui cupiditates atque motus animi vehementiores tanta ornata laude, ut omnis attentionis, perspicaciæ, ingenii, omnium præclarorum consiliorum atque factorum unicum esse fontem atque incitamentum contendat (d)! Quorum cum parer homo impetui, quomodo ab omni in devia incurrendi periculo tutus erit, haud facile, credo, qui vim illorum in mentes mortalium perturbandas cognoverint, alii perspicient. Itaque inconsultam adeo nemo probaverit doctrinam, nisi qui & rationem & experientiam contemnens, libidinumque licentiæ unice velificandum esse censens, tantam rem, in qua vitæ totius felicitas (ut de futura nihil jam dicam vita) versetur, tutissimam deserens viam, temerariæ maxime permittere velit alex. Quamobrem beneficium Religionis atque Educationis sollicitæ adeo non spernendum esse auxilium patet, ut illarum maxime ope privati commodi atque cupiditatum vi (quoties pugnare cum justitia & communi salute videbitur,) resistendi facultatem, & voluptatis utilitatisque speciei virtuti immolandæ constantiam, animis hominum mature atque diligenter infigere, sympathiæ, beneficentiæ, magnanimitatis sensus illis infundere, hisque promte & constanter obediendi virtutibus, consuetudinem atque habitum, quem vocant, quantum fieri possit, ingenerare, studere ac niti debeamus.

Quæ si coercere homines non semper poterunt, si cupiditatibus atque privatae utilitatis rationi haud raro succumbunt, si ab imperfecta Reipublicæ constitutione vitiosisque Civitatis institutis, moribus atque disciplina,

sæpe

(d) *De l'Esprit*, Disc. Ch. III. VI. sqq.

sæpe suffocantur; non tamen nihil idcirco prodesse putandæ sunt. Nonne enim fatis & experientia & historia docent, quantam vim principia virtutis, hominum animis mature & diligenter inserta, contra cupiditatum illecebras per totam sæpe vitam exercuerunt? Ac quidni virtutis semina, cum adoleverunt, fructus ferant constantes, cum præjudiciorum atque vitiorum in tenera ætate adscitorum tantam esse pertinaciam, ut neque rationibus neque pœnis cedant, quotidie videamus? Qui Religionis, quoties abusa illius fuit auctoritate hominum cupiditas, tam perniciosam fuisse vim studiose docet; cur eandem, ad felicitatem promovendam hominum sapienter adhibitam, invalidam fore pronunciat? Quin, si vel maxime daremus, Legum condendarum facultatem ad illud olim evehi posse fastigium, quod præcipiti nimis spe, vir illustris respectat; cur interim, donec felicia hæc hominibus contigerint tempora, illa abjicienda sunt atque negligenda adminicula, quibus salutem potenter firmari atque adjuvari mortalium, res ipsa perspicue confirmat (e)?

§. IV.

(e) *Virtutis* atque *Educationis* laudem & necessitatem constanter urget HELVETIUS; ne itaque injuria philosophiæ illius fecisse videamur, cum illam, oppugnare utramque dicimus; monere opus est, aliam eum his nominibus vim tribuere, cum utramque rem commendat, quam quæ vulgo tribui illis solet, verbisque tantum ludere, ne odiosa sc. nimis doctrina sua mox appareat primaque statim fronte homines offendat. *Virtus* autem illi laudatur non *moralis*, sed *mere politica*, quæ non studium est & habitus officii suis, privata etiam utilitate immolanda cupiditatibusque domandis, conformiter agendi, (qualem a quoquam foveri posse negat), sed agendi ratio publicæ conveniens utilitati, ad quam homo servandam per legum civilium sapientissimarum vim, solo privati sui commodi studio compellitur. (*De l'Esprit* Disc. II, ch. XXIV). Quare *nec inter Civitates populosque diversos ullam justitiam ac probitatem habere locum* docet (ib. ch. XXV), atque eodem ex principio bella ex sola dominandi libidine suscepta, nec non Europæorum in Africanos (les Negres) sævitiam, defendit.

§. IV.

Sicut autem Virtutis, hominum animis feliciter infigendæ, inde maxime successus pendet, ut hoc opus mature atque a *prima* usque *pueritia*, (id est, Educationis beneficio), urgeatur, cui inculcatæ ideæ, principia atque sensus & penetrant facillime, & permanant altissime, & menti inhærent fortissime (a); ita maxima sane & prudentia adhibenda est & constantia, ad vitia expugnanda jam adulatorum, mentesque eorum virtutis amore, facultate atque habitu imbuendos. Primum quidem veræ rerum huc pertinentium illis notiones impertientidæ sunt, sive *Intellectus* eorum *illuminandus*. Demonstrandum est lucide, argumentisque & validissimis & planissimis evincendum, Virtutem viam aperire veræ attingendæ felicitati tutissimam, quæ nisi illius beneficio nullo obtineri pacto queat; quam vitia promittant felicitatem, eam vanam esse atque fallacem, vagamque & fucatam qua mortalibus illudit voluptatis speciem, multo gravioribus rependi incommodis, noxis

B

&

Itaque nec *Educatio* ab eo commendatur *moralis*, homines privatos honestatis rationi subjiciens, sed *Politica*, ex legum & institutorum civilium, ad publicam promovendam salutem quemque cogentium sapientia totam pendentem, sive talem civium conditionem, qua ad rationem agendi, sui commodi motu, a pueris impellantur, quæ cum publica consentiat utilitate. Legislatoribus itaque ac legibus, non parentibus aut præceptoribus, tota debetur.

Fatendum tamen est, non semper eum sibi accuratissime constare. Sed hujusmodi rationem systematis sui indoles poscit; quam etiam plerumque satis diligenter observat.

(a) Postea enim non modo seigniores sunt ad novas ideas recipiendas, novamque rationem ineundam, sed præjudiciorum quoque & consuetudinum vitiosarum triplici muro circumdata & adversa, nobis objiciunt pectora animosque.

& doloribus; (ut iactura contra, Virtutis causa facta, brevisque ejus amore susceptus dolor, largis plerumque compensatur commodis atque beatitate); felicitatem ex summa effici bonorum quibus fruimur, nec nisi serie quasi tota vitæ percursa atque singulis connumeratis partibus, eam posse constitui, constantique, non breviter transeunte censendam esse voluptatis sensu atque fructu: hominis igitur esse, non punctum modo spectare præsentis temporis, sed universæ spatium vitæ lustrare, atque cum Virtutem universæ tutissimam deprehenderit beate vivendi ducem, ei constanter adherere, eique promte sequendæ animam advesfacere, sine qua consuetudine ac habitu, diligentissime ac fortissime conservando, vitiorum fraude misere sæpe decipiamur (*b*). Ut autem hæc præcepta hæque veritates & dilucidius intellectui pateant & promptius præsto sint, diligenter iis ideis principiisque mentis adnectendæ sunt quæ familiaria sint maxime, gravissima atque dominantia: quo consilio, vim ab his mutuantur insignem.

Un-

(*b*) Præclare SEARCH l. c. "Wisemen und the moral sense regard the whole of things; therefore will recommend a present diminution of happiness, for a greater increase of it to be obtained thereby". L. c. Ch. 29. §. 10. Et alio loco: "We must take into account not only the advantage accruing from an action, but likewise the benefits or mischiefs of the disposition of mind giving birth to it; and if this will lead us into evils over ballancing the present profit of the action, we cannot be said to do it without danger of after damage to ourselves. The virtues -- to be compleat must direct our inadvertent motions as well as our deliberate, that is, must become appetites impelling to action without standing to consider their expedience. Now however resists their impulse soberly and premeditatedly, upon consideration of their being inconvenient to his private purposes, will thereby make such a breach upon their authority and give such a crooked turn to his mind, as must unavoidably draw him into evils greater than any immediate advantage he may gain. Ch. 36, §. 2, (Cfr. Ch. 28. §. 4, Ch. 29. §. 11 & 12).

Unde patet, quam necessarium sit, ut animos eorum, ideas, & principia, quibus Virtutis studium instillaturus est, sapiens doctor accuratissime pernoscat, iisque sese suamque operam accommodare intelligat. Quam turpiter itaque, quam imperite & oscitanter agunt, qui vel univēse Virtutis laudes præceptaque proposuisse contenti, de applicatione eorum ad auditorum suorum ingenia, mores, sensusque parum solliciti sunt, vel aliorum adeo labores & orationes negligenter recitasse satis habentes, ad mentes audientium docendos abunde sese hac re incubuisse putant: circulatoribus non absimiles, qui ægrorum corporibus, humorum temperatura, morbi causis & natura haud cognitis, remedia temere vendunt, quæ vel aliquando cuiquam profuisse audierunt, vel vi medendi univēfali præstare credunt. Ut vero prudenti non sufficit medico, humani corporis univēse nosse fabricam, vires, motus, morbos, & efficacissima contra hos remedia mente tenere; sed speciatim quoque & ad ægrum quemque applicate, hæc eadem explorare necesse habet: ita eandem sibi legem scriptam putent, animorum quotquot medicinæ exercendæ operam addixerunt. Veræ igitur *Psychologia* (quæ fructuosam mentis humanæ notitiam tradit (c)) studio diligenti, adjunctaque ei suorum auditorum cognitione speciali, experientiæ ope, accuratæque observationis diligentia comparanda, neque Religionis Doctores, neque Pædagogi, carere ullo modo ii possunt, a quorum opera eximii sperandi sint fructus. Quam rem quotidie confirmat, tristis sæpe, experientia!

B 2

Dein-

(c) Ad quam pertinentes libros non indiligenter enumeratos videre licet, (laude tamen singulorum haud definita) in MICH. HISSMANN'S Anleitung zur Kenntniß der auserlesenen Litteratur in allen Theilen der Philosophie, V:3 Fach, S. 71 -- 107. (Cfr. præterea IV. VI, IX, X, XII, XIII. Fach.)

Deinde, quia intra *intellectum* luce salutari *collustrandum*, Virtutis instillandæ studium subsistere haudquaquam debet, sed *animi* quoque *emendandi* ac recte *singendi* operam complectitur; diligentissime erit curandum, ut practica sub forma, vivida & efficaci, præcepta sua Virtutis doctor proponat. Coloribus igitur illa depicta sistat non languidis, lentis, obsoleis, sed egregiis atque validis; iis eadem auditorum suorum ideis adlociet, quibus obsequi in vita maxime hi solent, quæ actiones eorum potentissime regunt, cor tangunt, proposita gignunt seria, ad vires exterendas animum potissime impellunt: ut motiva ita (quæ vocare moris est) consiliorum atque factorum suorum evadant. Quæ rursus res a Psychologiæ exquisita cognitione, perspectisque moribus & ingenio auditorum, opem desiderat. Hinc neque de natura Affectuum doctrinam, neque eorum vel excitandorum vel sedandorum facultatem, a præclaris Rhetoricæ doctoribus petendam, negligere oportet: quicquid etiam contra nonnulli disputent, vel rem non satis intelligentes, vel de verbis magis quam de rebus pugnantes.

§. V.

Multi hinc confectaria facile elicias, præceptaque Virtutis doctoribus, sive illam puerorum animis sive adulatorum instillare instituerint, observatu maxime necessaria: quæ quia plenius persequi atque exponere speciatim jam non licet, paucis præcipua universe tangemus. *Tempora* igitur primum consilio suo *faventia*, opportunasque occasiones, diligenter observent, iisque studiose utantur: non enim æque semper animi hominum quibusvis concipiendis ideis, sensibus, motivis, & horum omnium rerum associationibus, libenter patent; externæ res variæ, præcedentes

tes proxime ideæ, sensus atque affectus, plurimum hic possunt. Hæc igitur omnia minimè negligenda sunt, sed ad eorum rationem consilium conatusque sapienter accommodandi: quo facto, effectus habebunt & majores multo & durabiliore. Quos tradunt Philosophi de *Associatione idearum* & de *Sympathia animorum* doctrinæ, satis hanc rem illustrent; quæ non sine damno ingenti a multis aut ignorantur aut negliguntur. Deinde *forma ipsa præceptorum* placens sit & *jucunda*, cum nulla offensa aut sensu tardii conjuncta: quod magnam in docente ac monente requirit prudentiam, humanitatem atque etiam elegantiam. Hinc quæ de *moribus Oratoris* præcipiunt Rhetores, diligentissime hic consulenda sunt atque observanda. Quoties enim cum iis quæ traduntur nobis atque inculcantur veritatibus, ingrati ac molesti quicumque sensus sese associant, mentemque vulnerant; non modo iis recipiendis animus facile haud patet, sed postea etiam his iisdem cum ipsa memoria præceptorum, sensibus mox recurrentibus, per totam illæ vitam odiosa fere redduntur. Quæ observatio vel sola docet, quam perverse agant atque absurde, qui aspere, morose, iracunde, quin crudeliter, pueros tractent literarum virtutumque a se doctrina imbuendos! qui deliberato id agere consilio videntur, ut literarum virtutisque in discipulorum suorum animis odium excitent imprimantque, nimis secundo, quod dolendum est, plerumque utentes hujus rei successu! Hæc eadem ratio admonet, ut scriptores etiam, qui in docenda Virtute commendandaque versantur, stili non modo perspicuitatem & elegantiam, sed jucunditatem quoque & pulcritudinem, veræque eloquentiæ laudem, diligenter sectentur: ne Virtutem, rem pulcherrimam atque amabilissimam, sub forma turpiter sistant conspiciendam fordida, yili atque ingrata, contemptum potius ac nauseam, quam

venerationem & amorem hominum excitare apta! Porro, ut qui Virtutem esse habitum (quem vocare philosophi solent) meminerit, animo alte impressum atque cum toto ejus connexum idearum, affectionum, sensuumque interiorum systemate, momento illam temporis gigni, aut subito infundi, existimare facile haud potest (a) (quæ ratio admodum est Fanatica, atque a decretis nostræ Religionis abhorrens (b), quæ studium perpetui urget virtutis incrementi); ita caveant sibi doctores publici oportet, ne mutationem hanc animi talem depingant quæ dormientibus quasi hominibus facile atque in puncto temporis contingat: nec in ea *sæpe, diu, perseveranter, diligenterque inculcanda* defatigentur, nec successibus conatum laborumque suorum lentis atque quasi minutis offendantur. Non enim nisi sensim mala consuetudo aboleri, bonaque gigni potest, ali atque confirmari. Quare de altis firmisque jaciendis fundamentis, quam de celeriter conficienda tanta re, magis esse debent solliciti; nec in sensibus affectibusque subito ebullientibus, (cito rursus deferventibus,) spem ponant nimis magnificam. *Exemplorum* vis, ut præceptis longe est fortior, rem lucidius & vividius conspiciendam præbentium, (utpote sensuum externorum & phantasiæ potenti ope adiutorum), plenius multo accuratiusque exhibentium, modumque ejus feliciter peragendæ simul cum incitamenti ejusdem suscipiendæ repræsentantium; ita efficaci hoc uti auxilio, & ex sua vita honestissima, & aliorum egregiorum virorum factis petentes, Historiæ etiam copiis in partes scite

(a) Eleganter SEARCH. l. c. ch. 36. §. 4: *Our motives of action are not to be changed presently, nor can we give a new turn to desire as easily as put on our cloaths.*

(b) Cfr. præter plurimos alios, JUNCKHEIM von dem Uebernatürlichen in den Gnadenwirkungen.

te vocatis, Virtutis doctor atque svafor haud negligat (c). Quæ simul res admonet, ut apertius doceamus, in eodem minime sufficere ut formam modo Virtutis perspicue describat, incitamentaue ejus vivide proponat, nec ut *sensus* (verbis utor viri doctissimi), *animis injiciat*, *quibus veræ pietatis & virtutis amor excitetur, foveatur, magis magisque alatur & firmetur, denique etiam conservatio officiorum facilior. & constantior reddatur* (d): sed præterea requiri, quo optatus conatibus successus respondeat; ut non modo viam ac rationem diligenter tradat, metam a semet propositam feliciter attingendi, sed in illam discipulos atque auditores suos, manu quasiprehendens, etiam deducat, impedimenta non modo indicet atque remove doccat, sed etiam juvet; adjumenta non modo demonstrat usumque eorum tradat, sed etiam exhibeat, iisque adhibendis opem præbeat. Id vero non nisi additis fieri potest *instituti*, *sensus*, modo supra laudato inditos, adjuvare aptis ac valentibus, & *disciplina* sapiente, quæ removeat atque arceat a vitiis, ad honesta agenda admoveat, huic rationi animum sensim advesfaciat, viamque ita faciliorem reddat, & ad constans felixque Virtutis studium præparet & quasi formet. (e). Sola hæc
ra-

(c) De vi exemplorum, cum sensibus præsentium, tum phantasiæ ope repræsentatorum, & verorum & fictorum, ad virtutis studium adjuvandum, egregie præcipientem legere licet imprimis ill. HOME, *Elements of Criticism* Ch. II, P. 1, Sect. III & VI.

(d) Ven. ERNESTI in meletemate *de Disciplina Christiana* (in *Opusc. Theol.*) multis nominibus lectu dignissimo, §. 7. p. 333.

(e) Graviter Ven. ERNESTI, *Nam nulla inquit, in re, quæ quidem pertinet ad actionem, satis est scire, quid aut quare sit faciendum, nisi si res sit ejusmodi, ut modus illius agenda statim sit in promptu, nihilque ad agendum requiratur, præter solam voluntatem undecunque ortam & commotam: nec in ulla arte humana, quæ homines ad actiones certas erudit, hæc sufficere creduntur: ut mirari satis non possumus, quomodo quis in iis possit acquiescere, quum homines ad officium faciendum adducere instituit, & sibi persuadere, quemquam per eam futurum talem, qualem esse velit, aut acturum, quæ facere jubeat. Im-*

ratio atque vere *practica* ad Virtutem quasi *manuductio*; efficacis præbet & tutum ejus feliciter promovendæ adminiculum; cui imprimis tribuendi sunt qui Spartanis olim, Romanis, &c. contigerant insignes in virtute politica colenda successus: quam igitur rationem, qui de Virtutis studio promovendo olim præceperunt, diligentiſſime commendarunt (PLATO in *Republica* passim, EPICURETUS in *Enchiridio*, ANTONINUS Imperator in libris *ad se ipsum, cæt.*). Quamobrem studioſiſſime ad hanc rem animum attendant, oportet, & qui scholas regunt (ſi neceſſaria illis denegata non fuerit libertas atque potestas), & præcipue qui eas condunt atque inſtrunt: quarum publicarum, ſi quidem ſapienter inſtitutæ fuerint, præ privatis in hoc maxime conſpicitur præſtantia, quod hujusmodi diſciplina multo in illis feliciter conſtantiusque conſtitui poteſt & conſervari. Eademque res monet ac efflagitat, ut in Republica etiam, veterum more, præclara hujusmodi inſtituta condantur & retineantur; ſine quorum ope, minime Educatio ſola, etiam Religione adjuca, in politicis gignendis virtutibus tantum præſtare valet, quantum ſi eorum quoque auxilium acceſſerit. In gratiam itaque, hoc nomine, cum HELVETIO redimus, (ſupra idem jam ſignificavimus), quod Legum atque Inſtitutorum civilium ſapientium laudes vehementer celebret atque commendet; eo tantum diſſidentes, quod ab his ſolis nimis ſperet, atque ſubſidia moraliſ Virtutis, & præcipue Religionis recuſet: a quibus tantum tamen augmenti vigor illorum, & Patriæ bene conſulendi ſtudium tot nova fortiſſimaque incitamenta accipiat!

no vero intelligendum erat atque faciendum, quod magiſtri humanarum artium bene faciunt, ut etiam modus virtutis & officii conſequendi explicaretur. Saepe etiam, ut agere poſſis, quod debeas aut velis, opus eſt exercitatione aliqua, cujus modus & ratio eſt cognoscenda. Nec in cognoscendis ſatis eſt generalia quædam præcepta tradere, ſed quæ ſint accommodata ad cujuſque actionis, officii, virtutiſque indolem atque naturam. L. c. p. 330.